



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, 1616

Cap. XXXV. Factus est Rector Collegij Villa gartiensis, vbi plurimum iuuit D. Magdalenam Vllloiam eius Fundatricem ad grandia illa, quæ in Dei obsequium fecit

urn:nbn:de:hbz:466:1-43347

Dei; vehemeter sum ex eis exhilaratus. Deuste cō-
 soletur; sicut ego cōsolationē habeo de via tua; &
 ipse Dominus etiam gaudet, vt gaudium sit plenū
 sicut est in ipso, iuxta illud: *hæc locutus sum vo-* *k Ioan. 15. 11.*
bis, vt gaudium meum in vobis sit, & gaudium ve-
strum impleatur. Gaudium plenum vult Deus in
 seruis suis: hæc enim vis est illa, qua curritur per
 viam mandatorum eius. Ne autem suspectam rem
 habeas, quasi tantus fauor, ac delicia, à gradu, &
 sorte tua sint alienæ: legas S. Augustinum in hunc
 locum. Et ne mearum necessitatum obliuiscaris:
 nam ego tuarum sum valdè memor. Nec plura:
 quàm quòd fuerim valdè prolixus erga eum, cum
 quo Deus tam diu colloquitur. ille sit in anima
 tua, torusque eius amor. Amen.

CAPVT XXXV.

FACTVS EST RECTOR COL-
legij Villa-Garciensis, vbi plurimum vi-
uit D. Magdalenam Vllloiam eius Fun-
datricem ad grandia illa, qua in
Dei obsequium fecit.



BSOLVTO triennio sui of-
 ficij Salu- tica circa finem an-
 ni 176. c. itutus est P. Baltha-
 far ex vrbe Rector Collegij ANNO
 Villa-garciensis, & Magister 1577.
 Nouitioru, qui eò commigra-
 bant: eò quòd videretur locus
 illis commodior: & quia Domus Metinensis non
 capiebat omnes; & quia in Prouinca aded ampla,
 atque est hæc Castellana, opus erat duabus domi-
 bus

CC 5

bus Probationis, vt in altera ij Tyrones colloca-
rentur, qui non possent sine aliquo incommodo
esse in altera. Quare mox atque eò peruenit, ce-
dit operam constituendo Tyrocinio, cum eodem
feruore, ac perfectione, quã fecerat Metinz, vt
Capite 19. suprã, & sequentibus dictum est; in
quibus aliqua fuerunt posita, quæ in hac domo
euenerunt, & adhuc ponentur alia inferius Ca-
pite 47.

ALTERA etiam ratio, cur P. Balthassar factus
fuerit illius Collegij Rector fuit, quod D. Mag-
dalena Vllloia Vidua (quæ fuerat vxor Ludouici
Quijadi Praefecti Aulae Caroli Quinti Caesaris,
Duxque Generalis Peditum Hispanorum, Praesid
Consilij Indici, ac Dominus eius Oppidi, & alio-
rum vicinorum, qui obiit Anno 1570.) id valde
instanter petiuisset propter notitiam, quam ha-
bebat de magno Spiritu sancti huius viri, cum
quo aliquoties fuerat locuta transeunte per Val-
lis Oletum, vbi illa aliàs manebat: tantique eum
faciebat, vt literas ad eum Salmaticensis Colle-
gij Rectorem daret, in quibus rationem ei red-
debat animæ suæ, & ille ita respondebat, vt pla-
nè satisfaceret. Accessit etiam informatio Patri
M. F. Dominici Vllloij eiusdem Magdalena fra-
tris (viri singularum dotium, & grauissimi in-
ter Religiosos S. Dominici, qui postea fuit Epi-
scopus Mechoacanensis in Indijs Occidentali-
bus) qui diu valdeque familiariter cum Patre
Balthassare egit Abulae, Metinz, & Salmantici,
& experientiã ipsã cognouerat magnum eius
donum ad animas deducendas ad perfectio-
nem.

Et cum videret, decreuisse sororem suam fundare domum illam Villa-garciensem, suavit ei, ut hunc Patrem peteret, qui esset ibi Rector, & simul ipsa ab eo dirigeretur in rebus animæ suæ. Petijt itaque illum, & facta est voti sui compos, ita foeliciter, ut non cessaret gratias Deo agere pro hoc beneficio. Decreuerat hæc Domina, statim atque facta fuit vidua, recipere se ad seruiendum Deo in illo insigni Monasterio (quod valgo Guelgas appellant) Vallis-Oletano, in quo erat Abbatissa soror viri sui: sed quia illa licet intentauit circa bona sui fratris, non est exsecuta hæc Domina sui animi decretum: sed quamuis in priuata quadam domo in media ciuitate habitaret: adeo tamen recollecta manebat, atque si in ipso esset monasterio. Confitebatur in domo Societatis Professæ Patri Ioanni Bradanos per viginti septem ferè annos, qui cum magno eius profectu eam exercuit, quia ad nutum illi obediebat: & interdum conferebat se Villa-garciam, vbi Pater Balthassar commodam habuit occasionem tradendi illi spiritualia Societatis exercitia; & instruendi circa modum orandi, & familiariter cum Deo agendi. Habebat spirituales ad illam exhortationes; & quotiescunque illam alloquebatur, colloquium erat semper de Deo: ex quo illa affirmabat, se nunquam vidisse hominem ita altè de rebus spiritualibus loquentem; neque magis industrium, & aptum ad impedienda colloquia secularia, & inferenda spiritualia; eaq; cum fructu prosequenda, ita ut etiam per multas horas talia eius colloquia

non

non adferrent fastidium. Et re ipsa ita erat, quod illa nunquam defatigabatur, sed potius huiusmodi rebus audiendis multum delectabatur; & in sua interiora P. Balthassari communicabat, fieri solent Nouitij suo Magistro. Hoc modo instituit D. Magdalena, coepit cum spiritu exaltare multas & magnas Eleemosynas, quas faciebat: quarum triplacis generis: quaedam reparabant necessitates, & necessitates corporales pauperum; aliae altius ascendebant, vt hac scilicet via etiam confuleret spiritualibus animarum necessitatibus: aliae denique aliquid ultra addebant, ad augendum scilicet diuinum cultum, Deumque Dominum nostrum amplius honorandum in ijs, quae ad illa sunt dedicata.

IN primo genere fuit valde liberalis, & profusa, vt omnis generis necessitatibus subueniret. Vallis-Oleri in Xenodochio Esqueuio duodecim lectos collocauit, vt suis expensis totidem pauperum aegrotorum ratio haberetur: in quem finem sexcentos aureos singulis annis largiebatur: id quod per octodecim annos praestitit: Xenodochio vero Resurrectionis toto eodem tempore, assignauit singulis annis trecentos aureos; & Villagarciae erexit Xenodochium cum sufficientibus redditibus ad medendum pauperibus aegrotis ex locis, qui fuerant suo marito subditi. Magnas quoque Eleemosynas dabat ad collocandas in matrimonio pauperes pupillas, & ad succurrendum necessitatibus occultorum pauperum, quos prohibebat publice mendicare. Quod, vt cum maiori fidelitate, & liberalitate fieret, designauit ad tempus virum quendam honoratum valdeque piissimum, qui

qui huiusmodi occultas necessitates inuestigaret, & quid ad earum reparationem opus esset: & & quæ sic inueniebantur, curabat in charta scribi, & manu propria subscripam tradebat indigenti, assignato die; quo venturus esset ad ipsius domum pro tali eleemosyna: adeoque erat ad dandum propensa, & sollicita, vt statim atque mansatis tempestiuè excitabatur, iubere soletet, domesticos surgere; & videre, an pauperes aliqui iam accessissent, vt statim eos expediret, ne hoc nomine detinerentur. Statim atque surgebat duos marsupia accipiebat, vnum minuta pecunia plenum, vt ordinarijs pauperibus distribueret; alterum verò maiori argenteis, scilicet (Reales vocant) pro occultis: quando pauper accedebat, accepta ab eo charta à se subscripta, largiebatur Eleemosynam in ea expressam; & quamuis ultra eam quantitatem ordinariè nihil adderet: quando tamen necessitatem maiorem cognoscebat, etiam plura addebat. Omnibus præterea mendicis ad domus suæ portas accedentibus (qui frequentes valdè erant) eleemosynam ex maternis visceribus largiebatur, ita vt nullus omninò accederet, etiam si bis aut ter in die, qui absque eleemosyna recederet. Toto ferme anno occupabatur in emendo panno, & tela ad vestes & indusia pauperum conficienda. Per manum cuiusdam Canonici Zamorensis, & aliorum Religiosorum, distribuit multa millia aureorum in subditos viri sui, vt sic eius caritas, & misericordia ad multas, & in varias partes extenderetur.

Sæd multò liberaliorem se ostendit in reparandis spiritualibus necessitatibus, adiuuans magno

gno Zelo salutem animarum. Cuius rei causa
 misit duos Patres Societatis P. Ioannem Turria-
 num, Algerium; & P. Gabrielem de Portu Ma-
 rochium, dans singulis octo millia aureorum, ad
 redimendos captiuos; commendans eis, vt eos
 primū redimerent, qui in maiori periculo essent
 fidem abnegandi. Quod Patres ita perfecerunt,
 & Turrianus in charta rationes omnes notatas
 obtulit: sed bona Domina confidens Deo, & So-
 cietati, nunquam eas legere voluit. In eundem
 etiam finem ingentes fecit Eleemosynas, vt leues
 foeminae ex malo statu educerentur, & in domo
 quadam Probationis, quae est in ea Ciuitate, col-
 locarentur, vbi cogitarent de aliquo statu hono-
 sto suscipiendo; ac docerentur piè, & Christia-
 nè viuere, & in hunc finem etiam auxit mille au-
 reis annuis, & centum panis oneribus Monaste-
 rium Conuersarum eiusdem Ciuitatis, in quod
 illae reciperentur, quae ex improba vita conuer-
 sae, vocationem & talentum haberent, vt fierent
 moniales. Sed ne proprius finis, & scopus huius
 operis, qui (quod attinet ad reditus ab ipsa affe-
 gnatos) erat, aberrantes animas ad viam rectam
 reuocare, temporis decursu mutaretur, accepta-
 tis in eodem monasterio non huiusmodi conuer-
 sis à praua vita foeminis; sed honestis Virginibus
 (pro quibus Vallis-Oleti alia sunt monasteria)
 fecit ipsa declarationem quandam generalem,
 quam ad finem huius Capituli reddemus.

SE D multò adhuc magis eximiam suam cha-
 riratem, & magnificentiam ostendit in ijs ope-
 ribus, quae solum respiciunt bonum animarum,
 & cultum Creatoris earum: idque cum tanta pro-
 fusione

fuffione fecit, vt stuporem adferat. Exiftenti illi
 die S. Matthiæ Apostoli in fua Oratione matuti-
 na, dedit Deus sanctum quoddam desiderium, vt
 effet particeps foelicis sancti Apostoli fortis, do-
 cendo Christianam doctrinam, Confessiones exci-
 piendo, sacramque Communionem in Ciuita-
 te Ouetenfi, & toto Asturicēfi Principatu: in quo
 desiderio totum Orationis tempus fuit elapsum.
 Consuluit mox Patrem, F. Dominicum Vllioium
 fratrem suum, tunc Vicarium Provinciale illius
 Provinciae Hispaniæ: qui respondit, si per
 te ipsam concionari, & Confessiones excipere
 velis, illufio est. Sed illa statim addidit, non
 quidem per me, sed expensis meis curando, vt ad
 huiusmodi munia exercenda mitterentur Reli-
 giosi, quibus ego ad sustentationem sumptus da-
 rem. Cui prudens Frater respondit: id verò bo-
 num est, & propterea accipies Apostolicum præ-
 mium. Quod si velis doctrinam & Sacramenta
 in illis locis, procura PP. Societatis, quos Deus
 in huiusmodi missionibus iuuat & fouet. Et sic
 decreuit pia Domina opus illud solidius facere,
 & in ipsa ciuitate Ouetenfi Collegium Societa-
 tis fundare in eum tantum finem, vt Patres ibi
 alerentur, qui animas iuuarent, doctrina & In-
 stitutione destitutas, quales tunc maximè in eo
 Principatu erant. Approbavit consilium illud
 etiam Pater Balthassar; & animauit, vt statim
 exsequeretur, quo meritum esset maius, ob ex-
 actam, & ad nutum Obedientiam diuinæ in-
 spirationi præstitam: & vt fructu, quem spera-
 bat, adhuc in vita sua frueretur: & ita statim mil-
 le aureos dedit, ad emendam domû; & mille alios
 annuos

annuos ad sustentationē, quibus alios mille adiecit: adeoq; largiendo se effundebat; vt cū P. Ioan. Suarius Prouincialis noster vellet distincte rationes ponere, vt P. Generalem informaret (propter quandam occurrentem occasionem) ipsam Dominam interrogaret, quantum in vniuersum dedisset; Regium quidem, sed humilem animam præferens: Certè, inquit, non scio: propter Deum dedi, ipse rationes nouerit. Voluit Collegij templum titulū habere S. Matthiæ, eò quòd in finibus Sancti Apostoli Festo Deus ipsi desideria dedisset tale opus aggrediēdi. Quare dicere solebat, quòd quando Deus hoc ipsi desiderium dedit, videbatur, ipsi dedisse totam illam terrā, quasi in Commēda, aut quòd Deus talem Commendam ex gratia ipsi dedisset: id quòd ex amore, quo illam tractabat, & quidquid ad eius promotionem, & progressum pertineret, procurabat, satis apparuit. Fiebat extraordinarius fructus in illa plebe, quòd Patres Societatis colligere cœperūt in illis Missionibus, cum bini ad concionandum, & confessiones audiendas per totam Regionem exiret, educentes plurimas animas ex multis ignorantibus, & inueteratis peccatis. Et cum Patres Domine huic dicerent: in multis principibus illius Oppidis ob nimiam paupertatem, seruari sanctissimum Sacramentum cum exigua valde Reuerentia: iussit illa fieri quingenta ciboria sive Custodias argenteas, & aliqua lignea tabernacula inaurata, & distribui per illa Oppida, vt cum maiori decetia seruaretur. Eodem spiritu, & in eodem finem decreuit postea fundare aliud Societatis Collegium Santanderi, vt & ibi attendere

tur docendis & iuuandis animabus, in syluis & montibus illis derelictis. Eratq; hoc eius desiderium adeò vehemens, vt Confessarius eius dixerit: illam, siue dormiret, siue vigilaret, siue comederet, siue quid aliud faceret, non posse eam cogitationem ac desiderium deponere: eò quòd amor Dei, & animarum Zelus illam impelleret, & instigare. Assignauit statim mille aureos annuos, & intra breue tempus alios mille adiecit. Et vt appareat intentionis eius puritas in horum Collegiorum fundatione, etsi sufficentibus redditibus ea dotasset, vt ex relatis constat; ac propterea voluerit pro se offerri suffragia Sacrorum & Orationum quæ pro more Societatis solent pro Fundatoribus offerri: noluit tamè ius Patronatus retinere, quod poterat, quia verè ei debebatur: sed libertatè eis reliquit, vt si Prælatus quispiã, aut opulentus alius augere vellet eorum redditus: & esse Fundator, ac Patronus, illum pro tali possent admittere. Hæc enim nobilissima Domina non proprium honorè ex huiusmodi operibus; sed diuinum quærebat; neque nomen suum in terra perpetuare, sed gloriam Dei in eadem crescere, ac dilatari.

§. II.

SED vbi magis illius feruor præluxit, fuit huius Collegij Villa-Garcensis fundatio, vt pote opus præcipuum, sibi que reliquis, quæ fecit, chariùs. cupiebat enim omnibus vijs ac modis, ibidem augeri Dei obsequium, & animarum profectum, & vtilitati. Quare voluit, vt in eo pueri ex tota vicinia docerentur legere, scribere, & Arithmeticam; & humaniores literas alij

Dd

multi;

multi, qui ex diuersis locis eò confluunt, & insigniter in virtute ac literis proficiunt. Et præterea voluit, eandem domum esse etiam Tyrocinum Societatis, in qua in Spiritu & Religione instruerentur, qui essent per totum mundum postea dispergendi, & Christianam doctrinam, ac perfectionem docturi, quam ibi didicissent. Item vt Collegium illud (quod, in loco paruo situm, separatim magis ac expeditum esset à concursu hominum sæcularium) esset quasi domus quædam spiritualis recreationis, ad quam ex tota prouincia concurrerent Patres Societatis ad solatium aliquod spirituale, in maiori recollectione & familiaritate cum Deo sumendum: & vt confortati odore Nouitiatu valde feruentis, redirent cū nouo spiritu & animo ad laborādū in suis ministerijs erga proximos. His rationibus animabat Balthassar pijsimā hanc Dominam, vt opus illud valde perfectum faceret, quæ ex se ipsa facta bene erat animata: quia decreuerat, proprias facultates coniungere cū facultatibus viri sui Ludouici Quijadi, qui fuerat Dñs Villa-Garciensis: & iusserat ibidem fieri sacellum, cum valde tenuibus Capellanijs p̄ suo sepulchro: nisi vxor sua vellet etiā ex communibus vtriusque facultatibus monasterium aliquod ibidē erigere. Sed vtrūq; illa præstitit: nam pulcherrimū templum extrui curauit, quod simul esset vsui Patribus Societatis, & duodecim Capellanijs, cum quodam Capellano supremo, quas fundauit ac sufficientibus redditibus dotauit, in duplum scilicet, quàm vir eius designauerat: vt Officium diuinum, & Sacrum Missæ quotidie cantarent: ac diebus solennioribus etiam adhibito orga-

organo, cum ea solemnitate, quæ solet in Cathedralibus Ecclesijs adhiberi. Et ideo constituit, vt octo Capellani esset Musici, & vnus Capellæ Magister; & præterea vnus Organista, & sex chori iuuenes, & Sacristanus cū separata Sacristia præclaris ornamentis instructa; quorum omnium curam & gubernationē dedit Societati, & ad maiore omnium firmitatē curauit, rem totā Summi Pontificis bullis & literis confirmari. In eodem templo curauit fieri Sacellum separatum, in quo reposuit multas & præclaras reliquias, pulchrè ornatas P. Balthassare Aluario rem ita dirigente, vt ibidē etiam collocaretur sanctissimum Sacramentū: quò Nouitij cum maiori deuotione in sacrarium & sanctuariū illud se reciperent ad suam Orationē & Examen habendū. Et supra oēs reliquias, quæ distributæ erant per quosdā gradus curauit collocari pulcherrimā saluatoris nostri imaginem, altitudinis hominis; quam iussit ipse depingi à quodam nostro Patre Nouitio insigni pictore, cui nomen erat Ioannes de Rupe, & fuerat Portionarius S. Ecclesiæ Salmanticensis; quem cæteri Nouitij suis orationibus iuuerunt, vt imago euauderet valde pia, sicut verè est. Iussit etiam in superliminari sacelli hanc scribi sententiam: *Ego sū vitis, vos palmites*: vt insinuaretur, sacellum dedicatum vtriusq; simul: verè scilicet vitis Christo Iesu, & eius palmitibus, scilicet sanctis.

ABSOLVIT O nouo templo, mense Ianuario Anni 1580 instituta est magna solemnitas, vt ex antiquo templo transferretur ad hoc nouum, sanctissimum Sacramentum, & ossa defunctorum; quæ in antiquo deposita erant: ad solennitatem

D d z venit

venit ipsamet Domina cum duobus suis fratribus, D. Rodrico Villoio, Marchione de Mota, & P. E. Dominico Villoio, cum aliis præcipuis, & nobilissimis Dominabus vt viderent, quam bene illa suas facultates in vsum & commoditatem Societatis collocaret. Venerunt etiam ex nostris P. Iacobus Auellanædus tunc Prouinciæ Visitator, & P. Ioannes Suarius Prouincialis, & alij multi graues Patres: quos omnes excepit P. Balthassar iam Rector cum magna charitate & humanitate pro more suo, constituens, vt omnibus plenè prospiceretur de rebus necessarijs. Peracta est solennitas cum magna pompa & omnium approbatione: sed proximo die aliquid accidit, quod illam lætitiã diluit ac temperauit. In qua re P. Balthassar heroicam suam Obedientiam, & resignationem; Fundatrix verò ipsa strenuum suum animum, & pietatem prodiderunt: cuius ego sum testis, quia tunc ibi agebam tertiam probationem. Cupiebat pijsissima hæc Domina illo die cum Fratribus suis, Fratria, ac Neptibus pro valedictione ingredi Collegium, vt lustrarent, quæ ædificata iam erant, de qua re prius aliquid erat actum; sed P. Visitator erat huius sententiæ, quòd non liceret illi intrare: sciebat enim à tempore quo ipse fuerat in vrbe, quã seuerè & strictè Sua Sanctitas volebat, in huiusmodi ingressibus agi; quod etiam ostendebat Proprius Motus Pij V. quod adhuc vim suam retinebat. Et quamuis Patres Prouincialis & Rector securum illum reddebant, & certum ex iudicio Iurisperitorum, tam nostrorum, quàm aliarum Religionum, quod hæc Domina, eò quòd esset Fundatrix, tantæq; circumstantiæ in

eam simul concurrerent, posset licitè intrare: ille tamen à timorata aut scrupulosa sua conscientia impulsus, decreuit, vt non ingrederetur. Ipsa nihilominus decreti huius ignara, post Summum Sacrum ingressa est cum fratribus suis: & illis adhuc in infimo transitu manentibus, casu omninò id cognouit P. Visitator: qui à suo scrupulo iterum impulsus, P. Balthassarem ex suo cubiculo vocatum, seriò iussit ad D. Magdalenam ire, ac dicere, vt exiret. Et quamuis P. humiliter proponeret magna incommoda, quæ hinc oriri possunt; pauca verò, sic nihil ei diceretur, præcipuè cum ipse Visitator ad id facultatem non dedisset: ipse tamen iterum iussit, vt sine ampliori replica faceret, quæ iubeatur. P. Balthassar, licèt id valde sentiret, eò quòd res in se adeò esset grauis; & quòd ipse totumque Collegium, & Societas ipsa tota tali Dominæ esset obstricta: subiecit tamen iudicium proprium, suamque voluntatem negauit, & tanquam Obedientiæ filius, eam in hac occasione manifestè ostendit: nam statim obsecutus est, & quo potuit optimo modo, ad eam iuit, eiq; quòd iussus erat dixit. Grauitèr illa id sensit, & omnes sunt conturbati; & præcipuè Marchio eius Frater, qui non multum alias tales suæ sororis expensas probabat, chirotecas suas commotus, in terram abiecit, dicens: pluri hoc facio, quàm si Regnum Castellæ mihi fuisset datum: vt videas, inquit ad sororem, cum quibus hominibus tuas exponas facultates, & quàm se tibi gratos ostendant. Totum hoc P. Balthassari fuit magnæ mortificationi; & quidem, vt ipse aiebat, maximæ, quàm in tota vita sua habuisset; eò quòd in ea magnam suam

propensionem abnegasset, quâ semper conatus est valde gratum se exhibere suis benefactoribus, & nominatim tantæ benefactrici, & in tali occasione. Sed & illa egregium suum animum, pectusque Christianum ostendit: neque enim tantus hic sensus & dolor effecit, ut illa Societate amaret desineret, eique benefacere, & Confessariis eius confiteri, ut solebat, nec vel punctum amicitiamoris & reuerentiæ erga P. Balthassarem: potius quamprimum domum reuerfa est, misit, qui ipsum consolaretur; petens ne tanti rem ipse faceret, ut grauius eam ferret, sibi enim eius animum & voluntatem satis notam esse, nam cum adeo esse prudens, & pia, aduertebat, illud prouenisset, vehementi timore, aut Zelo, quo P. Visitator tenebatur, ne Deum offenderet, aut leges Ecclesie violaret; non verò, ut ipsi displiceret. Postea vero multa occurrerunt, in quibus Societas studuit, ut par erat, gratificari: & illa vehementer recreabatur; cum redibat Villa-Gartiam, & videbat pererulos ex scholis, qui ferè erant ducenti, exire sibi obuiam, cum lepidis suis saltibus; & ipsos studiosos ex scholis, quæ adhuc dum ipsa viueret, valde florebant, sicut & nunc: quia sunt plures quadringentis. Valde enim recreabatur videns, ingentem fructum fieri in tanta iuuentute, & tam splendida, quæ eò confluebat ex Zamora, Tauro, Vallis-Oleto, & alijs vicinis locis; imò etiam remotis valde ciuitatibus ob singularem eius loci ad studia recollectionem: letabatur videns, quantâ solennitate Officia diuina à Capellanis peragebantur, Nostris diligentem eius rei curam gerentibus; exultabat animo, cum videbat raram no-

strorum Tyronum modestiam; & cum intellige-
 bat insignia dona, quæ Deus illis communicabat;
 multoq; magis ob spem, q̄ illi ad bonum multarū
 animarum destinaretur; & ob singularem curam,
 quam videbat in alijs ministerijs erga proximos,
 tam illius loci, quàm vicinorum adhiberi. Quæ o-
 mnia cum videret, valde semper fuit procul ab e-
 ius cogitatione, vt operum, quæ fecerat, poenite-
 ret. Nam præterquam quod ea fecit à Deo D. N.
 permota, non satis sibi erat, quod sancta sua desi-
 deria cum suo Confessario conferret; sed de huius-
 modi rebus perpetuis consulebat etiam graues &
 doctos viros: & omnia, quæ erga societatem fe-
 cit contulit cum viris sæcularibus, quibus mul-
 tum tribuebat, præcipuè cum Licentiate Ferdi-
 nando Villa-Fannio, viro graui, prudenti, sa-
 pienti & magni consilij: qui etsi nobiscum aliàs
 non ageret: ea tamen approbabat, & ad ea
 præstanda animum addebat: vt hinc appareret
 Dei potius manum esse, quæ ad ea facienda impel-
 lebat. Vt autem illa omnia solidiora ac firmio-
 ra perpetuò essent: obtinuit à Summo Pontifice
 breuia cum omnibus ad id necessarijs clausulis.
 Et vltimò edidit quoddam scriptum, in quo
 constituit Rectorem Collegij sui Villa-Garti-
 ensis protectorem omnium piorum operum,
 quæ ipsa instituisset ac fundasset: vt atten-
 deret an conditiones & onera, quæ illis im-
 posuisset, seruarentur; & nisi re ipsa satisfac-
 erent, substituit ipsum Collegium Villa Garti-
 ense, vt redditus, quos illis assignauerat, ad se ac-
 ciperet.

H A B C fuerunt insigniora externa opera
 Dd 4 huius

a *Prou.31* 10 huius verè a *fortis mulieris*, cuius valor & precium est tanquam rerum preciosissimarum *procul & d. vltimis finibus* terræ aduenientium : cuius tamen maior præstantia est in virtutibus, & operibus internis, quæ externa comitabantur, vt se ipsam multò magis in eis perficeret. de quibus in primo capite fusiùs.

CAPVT XXXVI.

PATER BALTHASSAR
litteris suis eandem Dominam iuuat,
quam Deus ad insignem per-
fectionem eue-
xit.



VMD. Magdalena Vllloia Vll-
 lis-Oleti ordinariè residentis,
 P. verò Balthassar in Vlllo-
 Garcensi eius Collegio, inde
 illam suis litteris, aptisq; con-
 silijs iuuabat; semper illam ad
 perfectionem, suiq; ipsius ab-
 negationem extimulans: quæ res magnis humil-
 modi personis valde est difficilis: eò quòd con-
 suerint valde suis appetitionibus obsequi, ac
 proinde eas mortificare horreant. Ad eam igitur
 probandam, & experimentum aliquod in hoc ge-
 nere accipiendum, ac simul eandem extimulan-
 dam, inter alias litteras, hæc ad illam
 circa festum Natalis Domi-
 ni dedit.

§. I. DEVS